


AD

# FLORENTISSIMAM SCOTIÆ SOCIETATEM

AD

## Indos & Afros NEGOTIANTEM,

*Isthmum* olim *Darienum*, nunc *CALEDONIAM*, fœliciter occupantem:

# CARMEN CONGRATULATORIUM;

*Quod*

In publicis, Academiæ *JACOBI* VI. Regis *Edinburgenæ* Comitiis, VI. Kalend. *Quintil.* 1699.

Cecinit

**MATTHIAS SYMSON,**

Pro *Laureâ* Magisteriali *Candidatus*.

ACTENUS innumeris fulgebat *SCOTIA* Cœptis,
Cujus Fama *Polos* jamdudum invaserat Orbis.
Nullus enim, *Scoto*, Populus magè promptus ad Arma;
Qui postquam patrios defenderat Ense *Penates*
Bis mille annorum spatio (licèt undique sævos
Convocitet *Bellona* Hostes;) adversus *Hybernos*,
*Norvegos*, *Pictósque*, *Anglos*, *Danósque* cruentos,
Sæpeque Septijugæ prostraverat Agmina *Romæ*,
(Pristina nunc nec adhuc *Scotorum* est languida Virtus.)
Nec mala *Fata* timens, neque *Spe* suffultus inani,
Ecce novam *Americas* jam Classem misit in Oras.
Læta, *Caledonii*, festivo ostendite Plausu
Gaudia; vestra boent resono *Tormenta* fragore;
*Buccina* plangat ovans; *Tuba* clangat amœna; canoros
*Cornua* flexa sonos edant; Cava *Tympana* raucos
Horrisonósque altos strepitus reboent; nihil absit
Quod nunc Lætitiam poterit depromere vestram.
*Scotica* nam Classis longinqua in Littora tendens,
Ecce *CALEDONIAS* fœliciter {appulit / occupat} Oras.
*Æquora* quæ rapidis *Ventis* agitata, tumescunt,
Et *Mare* spumantes quod tollit ad *Æthera* Fluctus,
Cernere erat sævas paulatim ponere Vires
Atque frui summâ, tranquillâ Pace, Quiete,
Annuere & magnis vestris fœlicibus Ausis.
*Æolus*, occultis *Auras* qui fundit ab Antris,
Implevit placidis *Scotorum* Carbasa *Ventis*
Donec ad optatum fuit acta *Colonia* Portum.
*Albion* euge; Tibi nam nunc *Fortuna* sereno
Læta favet Vultu; Tibi fertilis *India* servit,
Atque tuo Imperio cupit *Africa* fusca subire,
Unde datur *Gemmasque* immensas ducere *Gazas*,
Cunctáque mortalis Vitæ tendentia in Usum,
Queis tu dives eris: Neque pòst meminisse juvabit
Quam tibi Pauperiem jactaverat *Anglia* quondam.
Magnanimi Heroes quorum Virtute patrantur
Talia (nunc vestrum taciturno Carmine Nomen
Præteriisse Nefas) quamvis per mille Labores,
Spiritus & Quorum divinior occupat Ardor
Ornandi Patriam: Proavos Virtute præitis;
Immortale Decus Patriæ, quoque Gloria vestræ,
Sub Quorum Auspiciis, ad aviti Culmen Honoris
Erigitur (depressa diu!) jam *Scotica* tellus,
Atque *Caledonium* fertur super *Æthera* Nomen;
Hoc agite: & magnis clarescere pergite Cœptis:
En vestra Australes quæ vexat Fama *Britannos*,
Terruit *Hispanos*, extremos subjugat *Indos*,
Vivet in æternum; celebris Laus vestra vigebit
Usque futurorum per sæcula sera Nepotum,
Dum rutilâ celsum *Sol* Luce serenat *Olympum*,
Instabilis tacitâmve regat dum *Cynthia* Noctem.

*Accipite, at faciles, nostra* Libamina *Musæ*;
*Cum nequeat, tenui, majora sonare* Cothurno.

EDINBURGI, Ex Officinâ Typographicâ Hæredum *Andreæ Anderson*, Regis, Urbis. & Academiæ Typographi. Anno DOM. M. DC. XC. IX.